DE

JURIS CANONICI

DIGNITATE ET UTILITATE

PRAELECTIO

QUAM HABUIT

FRANCISCUS NARDI

THEOL. ET PHIL. DOCTOR

QUUM EJUSDEM JURIS CATHEDRAM

IN C. R. PATAVINA SCIENTIARUM UNIVERSITATE

PRIMO CONSCENDIT

AUDITORES JURIS ANNI SECUNDI

EDIDERUNT

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXLIII

AD

EGREGIOS JUVENES

JURI CANONICO

OPERAM DANTES

Hanc meam lucubratiunculam nec argumento parem, nec typis fortasse dignam, vobis tamen id benigne cupientibus, typis committo. Rogo ut illam eo favore excipiatis quo tum quum legebatur audistis, eamque pro pignore sincerae benevolentiae habeatis, quae erga vos in dies augetur novasque ad susceptum munus obeundum vires addit.

Patavii VIII *Cal. Decembris.*

F. NARDI.

PRAELECTIO

DE

JURIS CANONICI

DIGNITATE ET UTILITATE

Haud diffiteor, Praeses illustris, egregii Collegae, Discipuli et Auditores quotquot estis humanissimi, haud diffiteor mihi maximopere exoptatum hunc diem illuxisse. Datur enim Caesaris munificentia antiquam ac perillustrem hujusce Archigymnasii cathedram conscendere, nobilissimam italicae juventutis partem gravioribus sacrae et civilis reipublicae disciplinis imbuere; datur ad illa sacra studia redire, quibus nil umquam mihi carius et solemnius fuit. Et illa profecto quibus nuper vale dixi omni erant amore dignissima. Quid enim homini et christiano et sacro praestabilius, quam rationum momenta tradere, quibus fidei nostrae sanctissimae divinitas illucescit? At ab ipsa illius disciplinae indole primo fere in limine consistere jubebar, et externam quodammodo religionis faciem intueri. Admiranda sane etiam tunc; at quanto magis quum in sacra ejusdem penetralia introire licebit, ejusdemque singulas partes et intimas quasi compages, quibus istud di-

vinum aedificium firmissime assurgit, mentis oculis perlustrare? Nam sicuti per jus civile societas universa consistit, ita ut qui illud rite sciat, jam totum etiam civitatis statum apprime noscat; ita juris ecclesiastici disciplinam callere, idem est ac religionis ordinem, disciplinam et magisterium universum mente complecti. Quae quanti sint etiamsi neminem lateat qui historiam et societatis rationem vel leviter noscat; attamen quum hinc inde ab hominibus vel brevis, vel corrupti ingenii denegetur, paucis quae de *nostrae scientiae dignitate et utilitate* dicturus sum, enucleare liceat. Vosque, egregii Juvenes, quos primum alloquor, vos quorum comitatem et erga vestros praeceptores dilectionem apprime scio, difficilem palaestram trepidanti animo arripientem, atque vestro favore magis quam proprio ingenio confisum perhumaniter sustentate.

Apud omnes gentes quae in societatem aliquam coaluerunt, leges religiosas principem locum obtinuisse compertum est. Hoc enim innumera antiquitatis testimonia, hoc monumenta et traditiones, hoc ipsa quae supersunt vetustarum legum fragmenta luculentissime docent. Ut enim illum antiquissimum et sapientissimum Hebraeorum legislatorem missum faciam, qui, divino afflante Spiritu, pro totius societatis fundamento religionem constituit, universamque populi sibi commissi vivendi rationem ad illam, veluti radios ad centrum, direxerat; illosque praetermittam priscos legumlatores Trismegistum et Orpheum, quos prima efferatis hominibus jura dedisse

Graeci narrabant; quin immo et Zaleucum et Charondam silentio percurram: nonne prima Licurgi primaque Solonis lex de numinibus colendis et patriis ritibus religiose sancteque servandis agebant? Nonne Plato, Xenophon, Aristoteles, qui reipublicae gubernandae regulas immortales condiderunt, quamvis multa sibi permittant quae extra umbram ferenda non sunt et saepe saepius a communi consuetudine et civilibus moribus longe recedant, attamen in hoc uno plenissime consenserunt, ut leges quae ad religionem pertinerent, et legum reliquarum et societatis universae fundamentum censuerint? Quod si ad illum populum veniamus quo nullus umquam vel gravior, vel fortior, vel prudentior exstitit, nullusque ad jura componenda magis aptus, illiusque antiquissimum codicem inspiciamus, leges XII tabularum; unde quaeso, veteres hae sanctaeque leges exordium capiunt? A divinis rebus profecto: » Ad divos adeunto caste, pie» tatem adhibento, opeis amovento. . . . , qui secus faxit, » Deus vindex erit. . . . Constructa a patribus delubra in » urbibus habento; ritus familiae patrumque servanto» . Hinc divorum sacra nomina, feriarum solemnia, libationes, sacrificia, sacerdotum Flaminum et Vestalium jura et officia; quaeque denique sacri juris erant, solemnibus et gravissimis verbis sanciebantur. Siquidem noverant sapientissimi illi prisci romanae reipublicae moderatores, absque religione nec imperium ullum, nec ordinem, nec societatem vel umquam stetisse, vel stare posse. Cujus rei causam et rationem sunt qui perperam a prae-

judicio, ab educatione, ab ignorantia, a metu aliisque hujusmodi causis expetant: nos vero cum Tullio stultissimum existimamus vana et commentitia illa nuncupare, quae scita in omnium quorumcumque populorum institutis et legibus exsistunt, quae, historia et commemoratione testibus, cum hominum stirpe orta sunt, cum ipsa tantum interitura, quae talia denique sunt, sine quibus humana societas nec pacem ullam, nec ordinem, nec robur ac firmitatem habere possit. Haec quae adeo homini necessaria sunt, nos non aliunde quam ex ipsa hominum natura repetimus, seu, quod idem est, a D. O. M. ejusdem naturae opifice; haec nos tanti facimus, quanti est humana felicitas.

Quod si de quibuscumque religionibus affirmamus, utpote quae semper aliquid veri et divini in se habeant commentis tamen et erroribus circumfusum; quanto magis de nostra purissima et sanctissima fide, quam ad humani generis salutem e caelo demissam cognoscimus, affirmare fas erit? Intuemini, egregii Auditores, hanc religionem, intuemini hanc Ecclesiam, cujus summa Dei benignitate nos quoque filii et nominamur et sumus; quid illa sanctius, quid illustrius, quid ad pacem tuendam augendamque felicitatem efficacius? Quid erit quod in ipsa magis celebremus? Vultis beneficam? Animadvertite an aliqua sit humana infirmitas, an dolor ullus, cui non sollicite mederi conetur. Ubique corda aerumnis et doloribus obtrita suavissimo spei lenimento recreat, ubique animos a vitiorum coeno ad beatam

virtutis semitam reducit, tollit odia, immodicos cohibet affectus, concordiam parat, amorem fovet; nemini infensa, omnibus propitia ad hoc unum intendit ut homo, post feliciorem quo fieri potest vitam, felicissimam consequatur immortalitatem. Vultis imperio late patentem? Nullis quam ipsius orbis finibus continetur. Sol oritur et occidit; at nullam lustrat regionem cujus aliqua saltem pars Christum Filium Dei non adoret. Innumerae quaeque sunt gentes solo dissitae, moribus, sermone, civili regimine diversissimae, per illam mutuo fidei, spei et amoris foedere junctae se qua unius matris filios habent, qua unius familiae fratres uniusque vitae consortes. Vultis fortissimam et diuturnam? Decem et octo saecula elapsa sunt ex quo divinus Conditor prima illius fundamenta jecit, omnibus quae in mundo aliquam vim exserebant obsistentibus, reluctante pharisaeorum invidia, gentium superstitione, caesarum et proconsulum immanitate. Quin immo et postea quam pace a Constantino donabatur, nullo non tempore ad nostros usque dies undecumque ab inimicis acriter infestata et saepe ac saepius omni humano auxilio destituta, alia proferre arma nequibat, quam illa quae ratio et amor suppeditant. Et quinam, rogo, quinam hujusce infensissimi et diuturnissimi belli exitus? Anne portae inferi umquam praevaluerunt adversus eam? anne aliquam infirmitatis notam portendit? anne fatiscit, dilabitur? Mirabile et tamen verissimum dictu! Omnia circa Ecclesiam intereunt, arma rubigo exedit, brachia

fortium marcescunt, sceptra franguntur, urbes delentur, nationes evanescunt, nihil temporis invidiam superat: una Ecclesia Christi integra et incolumis perseverat; nec perseverat tantum, sed novos sibi quotidie filios acquirit, sed in remotiores orbis partes salutaria signa explicare gestit, sed majores in dies agit triumphos.

Hujusce Ecclesiae, dilectissimi, regimen, leges, sacra jura diligenti animo perpendemus; videbimus quaenam sit eorum sapientissima ratio, quomodo in id unum intendant ut virtus et salus hominum perficiatur, nobisque compertum erit nihil esse in Ecclesia quod studio et admiratione dignum non sit, nihil quod non divinam sui originem patefaciat. Nam quod ad regimen attinet, si jam ipsa alicujus imperii diuturna integritas illius excellentiae luculentissimum exhibet argumentum; quid hoc antiquissimo et tamen integerrimo imperio erit perfectius? Formam vero illius spectantes, non mirabimur quod sapientiores inter ipsos ethnicos (inter quos Alexandrum Severum optimum principem unum nomino) aliquam hujusce regiminis imaginem etiam in civili gubernatione adhibitam vellent. Inter illa enim quae in ecclesiastico regimine omnem laudem excedunt, illud maximum mihi videtur, quod omnia non vi, non poenis, non externo potestatis apparatu, sed suasione et consiliis efficiantur. Sunt profecto qui praesint et quibus pareatur; secus enim nec ordo aliquis, nec stabilitas haberetur. Adest qui mysticae naviculae clavum teneat et in quem veluti in patrem

omnes suspiciant; adsunt sub ipsius praesidio qui singulas Ecclesiae partes moderentur; adsunt minores ministri, dispensatores mysteriorum Dei, vigiles animarum custodes: at omnes hi non sibi invicem dominantur ad humani imperii modum, non alter alteri suo arbitratu leges imponit, non superbiunt, non humana concupiunt, sed forma facti gregis ex animo, mutua caritate, collatis consiliis precibusque ad Deum effusis sibi invicem opitulantur, ita ut universa societas unius familiae pulcherrimam speciem praeseferat.

Quid vero de legum ecclesiasticarum praestantia dicam? Conciliorum canones, pontificum decreta versaturi, quot quantaque in iisdem inveniemus divinae sapientiae documenta! Ab illo primo apostolico conventu ad nostra usque tempora fuit ne inter tot centenas aliqua legitima synodus, quae leges moribus, fidei, publicoque bono adversantes condiderit, immo quae optima ad vitia et errores tollendos remedia non adhibuerit? Vix humana cupiditas, vel novarum rerum libido antiquam et sanctam disciplinam labefactabant, confestim venerabiles illi Patres Ecclesiae nutui obsequentes, nihilque rabiem et minas hostium, quin immo exilium et mortem ipsam pertimescentes, forti animo concilia cogebant sapientissimis legibus fidei, virtuti et societati universae opem ferentes. Quoties regna diris vexata motibus per sanctas Patrum sententias pacem nanciscebantur! Quoties schismata ab humana cupidine invecta tollebantur, componebantur longa dissidia, mo-

rumque tum cleri, tum populi disciplina reficiebatur! Quod si hujusmodi sacri conventus cogi nequirent, vel nefariorum consiliis quominus justa sancirent impedirentur; tamen non deerat qui a vertice arcis Sion augustam tolleret vocem, cujus sonus in omnem terram exibat. Non deerat ille quem suae sollicitudinis et caritatis vicarium ministrum in terris Jesus reliquit, immortalis Romae maximus pontifex. Debilis quidem et inermis homo, plerumque omni carens auxilio, unico tamen fidei robore munitus, quot quantaque perpetravit! Quibus periculis tum Ecclesiae, tum reipublicae non occurrit! quibus malis non medebatur! In illa omnium rerum subversione et confusione miserrima medii aevi, in illo violentiae et cupiditatum quarumcumque lacrymabili triumpho, unde justitia et honestas juraque sacra populorum protectionem ac vim nancisci poterant, quam in summorum pontificum decretis? Per illa fortissimum vallum contra vitiorum colluviem et ingruentem barbariem objectum, per illa principum aeque ac populorum ferox libido coercita, per illa unitas aliqua inter tot reluctantia argumenta invecta, per illa denique caligine, quae orbi fere universo tunc offundebatur, illustrata, meliora Europae tempora parabantur. — Quod qui dubitet, scripta Leonis et Gregorii perlegat, quibus Magnorum nomen posteritas unanimi consensione decrevit; epistolas et decreta illius viri percurrat, quo nulla aetas fortiorem edidit, Gregorii, inquam, VII, qui jam paucis abhinc annis a

brevioris ingenii hominibus qua cupidissimus et durissimus tyrannus habitus, nunc vero ab ipsis catholici nominis inimicis strenuus ecclesiasticae libertatis et sacrorum humanitatis jurium defensor, vir fere divinae mentis, omnium suae aetatis longe princeps salutatur. Maximum ecclesiasticae disciplinae restaurandae opus a Gregorio inceptum Alexander III et Innocentius item III perfecerunt. Alter huc illuc fugitare et delitescere coactus ad iram Friderici declinandam, et tamen e latebris Ecclesiam sibi commissam miro quodam et inexplicabili modo gubernans; alter christianam rempublicam diris motibus undecumque jactatam paci restituens, in illis quae saepius versabimus litteris decretalibus, quaeque adhuc totius sacrae jurisprudentiae vim et summam constituunt, immortalia nobis reliquerunt sapientiae argumenta. Quod si in hisce aliquanto diutius immorari liceret, non utique hos tantummodo pontifices qua legum ecclesiasticarum sapientissimos conditores laudatos vellemus; sed illa etiam quae Honorius III, Gregorius IX, Bonifacius VIII, Sixtus III et V, Clemens XI, maxime vero illud Italiae et totius Ecclesiae decus praestantissimum, Benedictus XIV statuebant commendanda essent, et qua ratione sacrae disciplinae leges rerum adjunctis sapienter accommodare noverint enarrandum. Non enim illud sibi Ecclesia umquam proposuit, ut disciplinam omnino stabilem et uti dicam immobilem conderet; sciebat enim hominum et terrestrium quarumcumque rerum naturam mutationi esse quam ma-

xime obnoxiam, nihilque sub sole praeter fidem et virtutem firme consistere. Quapropter, fide et virtute tenaciter ac perpetuo servatis, in ceteris nonnihil mutandum esse, prudenter quidem et pedetentim, Ecclesiae suasum fuit, quum nil ipsi magis curae sit, quam communis fidelium salus. In hoc unum, ut omnes boni et felices evadamus, suas vires insumit, in hoc unice laborat, ad hoc bona universa quibus a divino Conditore ditata fuit, impendit.

En dilectissimi de quibus acturi sumus. Quis haec parvi pendat? vel potius quis hic de summa rerum agi non agnoscat? Laudatur jus civile quo mutua civium statuuntur officia; laudetur sane. At anne juribus civilibus universa hominis absolvitur natura? Nonne aliquid in homine inest, quod hujus temporis et spatii limites plane excedit, et meliori et ampliori vita ipsum fruiturum esse praenuntiat? Profecto, carissimi, alterius mundi cives, alterius vitae numquam interiturae participes sumus, ad quam non leges civiles, non jussa principum, sed Dei et Ecclesiae monita viam sternunt. Jura habemus quae non sunt hujus saeculi, immo quae hujus saeculi placita nec antiquare, nec infirmare nullatenus possunt; fidei et conscientiae sacra jura, quae in intima animi penetralia Deus ipse infudit et nihil abolere umquam poterit. Gravia sunt quidem quae nobis civiles leges pariunt emolumenta; scelestos enim homines minis terrent et poenis cohibent, tranquillitatem reipublicae custodiunt, mutua commercia tuentur

et fovent. At si haec omnia cum iis conferamus quae nobis Ecclesia praestat, vix comparatione digna censebimus. Mutua enim civium fides et caritas, pietas erga miseros, pactorum sanctitas, inviolatae nuptiae, liberorum in parentes, parentum in filios amor, aurea illa quaeque sunt domesticae pacis gaudia, mores denique honesti et virtus, quae ubi desint, leges ipsae corruunt et universa societas in pejus ruit; haec omnia, inquam, non alium praeter Ecclesiam custodem et vindicem habent, neque aliunde robur nisi e religione nanciscuntur. Hoc enim, dilectissimi, animo percipite et alta mente reponite, sine integris moribus nullam privatam aut publicam felicitatem, sine religione vel, quod idem est, sine Ecclesia nullos integros mores adesse posse, ideoque Ecclesiae bono consulere, idem esse ac totius societatis verum ac summum bonum promovere.

Quod sane perspexisse videntur majores nostri quum ad leges Ecclesiae tradendas summi nominis viros undique arcessebant, quibus quum me suffectum commemoro, justo rubore afficior. Ut enim celebriores tantum attingam, nonne ex hac cathedra docuerunt et Joannes Capilistius saeculi XIII jurisconsultorum facile princeps, et doctissimus Angussola plurima nobis relinquens scientiae argumenta, et Joannes Andreae celeberrimus pontificii juris et praesertim decretalium Bonifacii interpres, et Franciscus Zabarella, vir doctrina, ingenio et singulari vitae integritate illustris, ad cujus laudem hoc unum addere sufficiat, quod Synodus con-

stantiensis difficillimo utriusque reipublicae tempore illum unanimi voto ad Petri cathedram evehere gestiebat, nisi mors importuna triduo ante designatum diem intercessisset? Tanto viro Joannes ab Imola sufficiebatur, quem Patavio abeuntem tercenti discipuli Ferrariam comitabantur, sexcenti vero Bononia eidem adventabant; et Porcellinus doctissimus utriusque juris interpres, et Leonissa, et Naevius, et Pavinus, et Antonius Doctorius, et Comnenus ille Pappadopulus qui nostri Gymnasii fastos felici auso collegit. Quod si ad tempora nobis propiora deveniamus, Cyprianus Banalea et Bertholdus de Amatis nobis occurrunt, uterque de disciplina nostra optime meriti; et Bartolus qui ab hac cathedra ad feltriensem sedem evectus, elementa juris canonici elegantiori stylo conscripta, qua perenne sui non exigui ingenii argumentum posteritati commendavit. Sed jam quid antiquiores fastos percurro? Nonne adhuc inter nos viget illius celeberrimi viri memoria qui nunc vicetinam sedem illustrat? Numquam profecto apud me delebit oblivio splendidas sacri juris doctrinas, quas ego illius auditor ex iisdem, quae vos nunc tenetis, subselliis hausi, numquam illam in enucleandis difficillimis quaestionibus sapientiam, prudentemque in juribus utriusque reipublicae rite tuendis aequitatem. Ille mihi exstitit dux ad suscipiendam et ingrediendam rationem horum studiorum, illius vestigiis inhaerebo, satis me fecisse arbitratus, si vel aliquam laudis partem huic viro communi omnium plausu tributae promereri

valeam. Tanti viri et alterius qui eidem sufficiebatur, quique et doctrina et singulari benignitate tantum apud nos sui desiderium reliquit quum illum prius ad consilia veneti Gubernii, dein ad ragusinam infulam augustissimus Imperator adscivit; sed et praestantissimi illius juvenis qui ad tempus ejusdem munus obivit ea prudentia et eruditione quae nullo modo ab ea in qua versatur aetate exspectari posset, locum non sine gravi trepidatione suscipio. Siquidem me cum meis antecessoribus comparans dissimillimam mihi et illis ingenii et doctrinae rationem esse, et permulta quae in ipsis abunde exstabant, in me desiderari dignosco. Unum tamen mihi et illis commune futurum esse polliceor, sincerum erga meos discipulos amorem. Illo incitatus, ut studia vestra utilia et, qua fieri potest, amoena evadant, neque vigiliis, neque laboribus parcam, in id omnes quotquot sunt exiguae mentis nervos intendam, ita ut si illud plane non assequar, non socordiae, sed ingenii tenuitati tribuere velitis.

At non ego aliquod perficere solus valeo. Nam praeter opem quam ab omnipotenti Deo, qui me hoc novo cumulavit beneficio, vehementer flagito, praeter humanitatem qua hunc optimum et sapientem Praesidem meosque doctos et egregios Collegas mihi adfuturos esse confido, et vestra, praestantissimi Juvenes, vestra quoque in meis saepe inconcinnis verbis excipiendis benignitate, inque studiis prosequendis diligentia et assiduitate summopere indigeo. Hanc postulo, hanc rogo,

hanc enixe obtestor. Ne vos mea vota incassum prolata fuisse sinatis! Mementote cujus religionis filii, cujus patriae cives exsistitis, sacrumque inter Italos et fuisse et usque futurum hujusce disciplinae studium, nec leve gloriae pondus ex eodem Italiam jam a pluribus saeculis inter omnes nationes collegisse. Sacri hi parietes, quos inter olim flos non tantum Italiae, sed Europae fere universae ad nostram et civilis juris disciplinam hauriendam adventabat, vos muti alloquuntur, et ne hujusce loci et scientiae majestate indignos esse velitis monent. Vobisque qui civilibus officiis operam navare contenditis, augusta profecto et cuilibet italo veneranda nomina Cyni Pistoriensis, Albertini Mussati, Francisci Guicciardini, Bernardi Justiniani, Pauli Parutae, Jacobi Bonfadii indigitant, et ne priscum patriae honorem deficere, gloriosisque patribus degeneres nepotes succedere permittatis prohibent. Vobis vero qui christiano sacerdotio insigniri vultis alia nomina ob oculos ponunt, sancta et omni amore dignissima nomina cardinalis Pallavicini, Reginaldi Poli, Comendonis, Madruccii, Camilli de Lellis, Cajetani Thienaei, praesertim vero summi illius nostrae religionis et totius generis humani decoris, Francisci Salesii, quos omnes doctissimos et beatissimos viros eodem quo vos loco stetisse novimus. Hos inspicite, carissimi, hos intuemini, vestrosque mores ad illorum mores effingite. O vos felices si hinc abeuntes ad magnam vitae palaestram ingrediendam, aliquam cum istiusmodi viris similitudinem vobiscum